

ip̄o om̄s iustificabuntur:  
quid̄q; autem in filio ordine.  
ñ xpm̄ dnm̄ nr̄m. **3 Lucā.**  
Accesserunt ad ihm̄ quidā  
uoz. qui negant eē resurrex-  
it. 3 interrogauerunt eum  
s. Magister. moyses scrip-  
tis. Si frater. & uxor. & frater  
habet uxorē. 3 hic  
s. fuerit. ut frater ei' acci-  
pim uxorē. 3 suscipiat semē  
uio. fuerunt ergo apud nos  
fr̄s. 3 primus accepit. ut  
3 mortuus est sine filijs.  
ens accepit illam. 3 ipse

Dnm̄ dñi abraham. 3 dñi isaac. 3  
dñi iacob. Dñs autem non est mor-  
tuoz. s. uiuoz. Cui enim uiuūt  
ei. Respondens autem quidam scri-  
ba. dixit. Magister. bene dixit  
tu. & amplius non audierunt eū.  
interrogare **Mat. vi. 5. Lucam.**  
A. III. Dixit ih̄s discipulis suis.  
Dum induxerint uos in synago-  
gas. 3 magistratus. 3 potestates.  
nolite solliciti eē quid responde-  
tis. aut quid dicatis. Dñs enim  
sp̄s docebit uos in ipsa hora. que  
oportet dicere. Aut autem quidā  
ei de turba. Magister. dic fratri



X 1905 419





\* \* \* \* \*

C O P I A

## P A C T O R U M

H E R E D I T A R I O R U M

inter Marchionem JOACHIMUM, Prin-  
cipem Electorem Brandenburgicum ex unâ, &  
GEORGIUM, BARNIMUMq;, Pomeraniae  
Duces, ex alterâ parte, nec non ab Ordinibus  
earundem Provinciarum, super ditionibus Po-  
meranis, in ijsq; futurâ successione, anno 1529.  
initiorum uti ab ipsis quidem Pomeraniae Ducibus  
& Ordinibus obsignata & edita  
fuerunt,

*Item*

Fœderis à GUSTAVO ADOLPHO Suecorum, &c.  
Rege, laudatissimæ memoriæ, cum Pomeraniae Du-  
ce novissimè defuncto, percussi,  
Anno 1630.

*Deniq;*

Edicti Sac<sup>æ</sup>. Cæs<sup>æ</sup>. M<sup>tis</sup> ad Ordines Pomeranos,  
super successione in istas Provincias ad Serenissimum  
Septemvirum Brandenburgicum  
emanati.

\* \* \* \* \*



\*\*\*\*\*

C O P I A

P A G I N A

H E R E D I T A R I U M

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

\*\*\*\*\*







*Paçta hereditaria, inter Marchionem JOACHIMUM, Principem Electorem Brandenburgicum ex unâ, & GEORGIUM, BARNIMUMq; Pomeraniae Duces, ex alterâ parte, super ditionibus Pomeranis, in usq; futurâ successione, anno 1529 uti ab ipsis quidem Pomeraniae Ducibus, obsignata & edita fuerunt.*

*Idem pactorum instrumentum, in re ipsâ huic prorsus conveniens, vicissim ab Electore Joachimo, mutatis mutandis obsignatum fuit, & tam Ducibus quam Ordinib. Pomeranis traditum.*

**N**OS, DEI gratiâ, GEORGIUS ac BARNIMUS, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumque Duces, Rugiæ Principes, Gutzcoviæ Comites, &c. testamur publicè, hocce nostro diplomate, cunctis id visu, auditu, aut lectu intellecturis.

*Leges etiã qua hisce pactis dicuntur, omni tempore perfectè fuerunt observata ac præstita, pactaq; ipsa singulo quoq; casu utring; renovata.*

Cum Ducatus nostros, Principatusque Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ, Rugiæ, Comitatusque Gutzcoviæ, cum omnibus ad eos pertinentibus territoriis, dominiis, ac juribus, sine exceptione ullâ, ab Imperatoribus olim Romanis, Regibusque, Principes Electores Brandenburgici, ob rationes prægnantes, peculiarique ex gratiâ, feudo obtinuerint masculino, iisque fuerint investiti, unde lites disfidiaque orta inter Illustrissimum Principem, Dominum JOACHIMUM, Marchionem Brandenburgicum, Sacri Romani Imperii ArchiCamerarium ac Electorem, Nurnbergiæ Burggravium, Dominum nostrum cognatum carissimum, nec non illustrissimum Principem, Dominum BOGISLAVIUM, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vanda-





lia Ducem, Rugiæ Principem, Gutzcoviæ Comitem,  
Dominum nostrum parentem dilectissimum, laudatis-  
simæ memoriæ, certis pactionibus sint composita, ex  
iisque denuò rixæ Principi Electorali cum Domino ac  
parente nostro natæ, ad nos, genuinos ipsius heredes  
feudales fuerint transmissæ, iisdem dirimendis quam-  
plurimis institutis tractatibus ac colloquiis, absque ul-  
lo tamen hucusque profectu: Tandem interventu Illu-  
strissimorum Principum Domini ERICI ac HENRI-  
CI, junioris, Brunsvici ac Luneburgi Ducum, cognato-  
rum nostrorum carissimorum, utrinque ex altercati-  
onibus istis, finali earum transactione, in plenam ac in-  
tegram nos rediisse gratiam, prout capita ejus serie hîc  
subsequentia suâ liquidò demonstrant.

Scilicet, ut nobis, heredibusque nostris, ex nobis  
procreatis masculis feudalibus, continuâ serie, in perpe-  
tuum, quousque ex stirpe nostrâ superfuerint, qui Ste-  
tini, Pomeraniæ Duces, Rugiæ Principes, & Comites  
Gutzcoviæ sint, vî harum conventionum, & à prædicto  
carissimo nostro Domino accognato, Marchione JOA-  
CHIMO, Principe Electore Brandenburgico amicè  
initæ compositionis, instrumentique obligatorii nobis  
traditi, post novam hanc pactionem à nobis cunctisque  
provinciarum Ordinibus, fide ipsorum loco sacramenti  
reipsâ dicti, obstrictâ, obsignatam, quotiescunque in po-  
sterum contigerit, convenerit, aut necesse fuerit, cun-  
ctas nostras dictiones supra memoratas ab Imperatoribus  
ac Regibus Romanis, feudo accipere sit integrum abs-  
que ullo obstaculo Principis Electoris, ejusve heredum  
ac successorum, Marchionum ac Electorum Branden-  
burgicorum, continuâ serie, in perpetuum, idque hac  
ratione, ut ne id fiat, nisi assistente quolibet Electore,  
in per-



in perpetuum, aut ab legatis ipsius consiliariis, ita nempe, ut nos Pomeraniæ Duces ejusmodi nostræ investituræ, quemvis pro tempore rerum potentem Electorem Brandenburgicum tribus antè mensibus certio rem reddamus, quò aut ipse, si ita visum fuerit ad sistere, aut suos ad futuros legare possit, accipiendæ unà nobiscum, hæredibus ac successoribus nostris, continuâ serie, in perpetuum, simultaneæ investituræ, prout in ejusmodi investituris conjunctim recipiendis lege aut usu est sancitum, quâ in re Principi Electori Brandenburgico nullum à nobis proficiscetur impedimentum. Quod si verò denunciatione eâ super accipiendis Regalibus, à nobis, Stetini, Pomeraniæ Ducibus, tribus retrò mensibus Principi Electori Brandenburgico, ritè facta, nec ipse tamen adsit, nec suos mittat: nos, Pomeraniæ Duces, acceptioni Regalium nostrorum diutius super sedendæ pro tempore non tenebimur. Vicissim ab Electore Brandenburgico, dictante id hac conventionem, & absque juris sui simultanei præjudicio, Regalibus istis nostris in posterum ab Imperatoribus Romanis ac Regibus, ut supra est sancitum, accipiendis nullum adferetur obstaculum.

Nos præterea, heredes nostri ac successores Stetini, Pomeraniæ Duces, continua serie, in perpetuum, si quid humanitus, uni aut alteri ex nobis contigerit, Regalia nostra, qua dictum est ratione, ab Imperatoribus ac Regibus Romanis non sumus accepturi, nisi renovatione novæ hujus conventionis in omnibus ejus capitibus cuivis pro tempore Electori Brandenburgico, à nobis, Ordinibusque nostris provincialibus, prius instrumentis obligatoriis sancita, ac sacramento fidelitatis in eventum, quo inferius subsequetur pacto, ab iis præstito:  
ita ut



ita ut id ipsum Domino ac cognato nostro, Electori ac deinceps continuâ serie cuilibet Electori, duobus antè mensibus, uti infra dicitur, denuntiemus, remq; ipsam intra istos menses denuntiatos effectam demus. Integrum tamen sit Electori, familiæque Brandenburgicæ, quotoquoque casu, & usu sic postulante, cum aliis ipsorum Regalibus, Ducatus Principatusque Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ & Comitatum Gutzcoviæ, cum omnibus nostris ditionibus, uti sunt memoratæ, sine exceptione, ab Imperatoribus ac Regibus Romanis, uti antiquitè, & hucusque semper, absque obstaculo fuit factum ac observatum, accipere, nullo à nobis Pomeraniæ Ducibus, heredibusve & successoribus nostris, impedimento.

Porro inter Dominum ac cognatum nostrum carissimum, Marchionem JOACHIMUM, Electorem Brandenburgicum, ipsius heredes, ac successores in perpetuum, ac nos amicè conventum est, ut nos, heredesque nostri ac successores continuâ serie in perpetuum, absque Electoris cujusvis Brandenburgici impeditio-  
ne, sessionem ac suffragium in Sacro Romano Imperio habeamus: ita tamen ne nobis Stetini, Pomeraniæ, Ducibus continuâ serie, in perpetuum, eam sessionem & suffragium præ ullo Marchione Brandenburgico, qui ad gubernacula sedeat, capeffere liceat: cui etiam rei observandæ nos, heredesque nostros, continuâ serie vi hujus conventionis obstringimus.

Quò autem per ea & memorato Domino nostro ac cognato, Marchioni JOACHIMO, Electori Brandenburgico, ipsiusque heredibus ac successoribus, Marchionibus Brandenburgicis Electoribus, in acquisitis eorum ac continuatis hereditariis, Imperatoriis Regi-  
isque



isque concessionibus, indultis, immunitatibus, & cunctis aliis juribus nihil præjudicii, labefactionis, aut detrimenti, sed potius firmissima cautio, idoneaque securitas accedat: Nos deliberato animo, liberâ ac pronâ voluntate verâque notitiâ pro nobis heredibus quoque nostris ex nobis descendentibus feudalibus masculis, continuâ serie, in perpetuum, assensi sumus ac spondimus: assentimur in præsentem ac spondemus vî hujus instrumenti denuò, nempe, quòd si nos, quod Deus avertat, sine prole masculâ decedamus, aut proles nostra mascula, continuâ serie, absque sobole decedat masculâ, tunc cunctos nostros Ducatus, Principatusque, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæque, & Comitatum Gutzcoviæ, ditionesque omnes, quocunque nomine veniant cunctæ aut singulæ, absque exceptione, ad Electoratum Brandenburgicum, & carissimum Dominum & cognatum nostrum, Marchionem **JOACHIMUM** Brandenburgicum, heredesque ejus ac successores, pro tempore Electores & Marchiones Brandenburgicos, continuâ serie, in perpetuum ex normâ præmemoratarum ipsis acquisitarum ac continuatarum hereditariarum, Cæsarearum, Regiarumque concessionum, indultorum, omniumque aliorum jurium, iri devolutum, sine omni contradictione, aut exceptione: Neque ipsos nos, aut opera nostrâ, ditiones istas nostras, quocunque pacto, in alios translaturus: sub fide nostrâ, omni que procul fraude: Quod si verò contingat, ut quispiam feuda ista dictorum Ducatum, Principatum, ac Comitatus nostrorum ad se pertrahere præsumat, ei nos, progeniesque nostra mascula feudalis, continuâ serie, in perpetuum, auxilio Domini & cognati nostri, Marchionis **JOACHIMI**,  
ipsum



ipsiusque heredum, ac successorum, pro tempore Marchionum Brandenburgicorum Electorum (ut & Elector, cum heredibus suis ac successoribus, idem vicissim nobis sponderunt) fidei & cuncta nostrarumque ac subditorum nostrorum ope resistemus, neque id concedemus, sed huic obligationi nostrae semper plenè ac integrè satisfaciemus, sine exceptione: Et quò omnia ista firmiori & magis inviolabili observentur fide, cuncti ac singuli nostri Prælati, Barones, Vasalli, Urbes ac oppida, ipsorum posterum, aliique nostri subditi dictorum nostrorum Ducatum, Principatum nec non Gutzcoviæ Comitatus, cæterarumque ditionum, una cum nobis, ex voluntate, scitu, jussu, ac mandato nostro, dictante ad ipsorum instrumento obstrictorio, erga prædictum nostrum carissimum Dominum & cognatum, Marchionem JOACHIMUM, Brandenburgicum Electorem, ipsius heredes, ac successores pro tempore Electores & Marchiones Brandenburgicos, continua serie, in perpetuum, fidem suam & honorem, loco jurisjurandi, sub sigillis suis obligabunt. Huic nostrae obstrictioni ad effectum deducendæ, idque statim à perscriptâ ac obsignatâ hac novâ conventionem, à cunctis nostrarum ditionum Ordinibus Electori Brandenburgico, nobiscum unâ assistentibus ipsius Consiliariis, in eventum, stipulatâ, juramenti instar, manu, sub fidei & honoris nec non fidelitatis quâ nobis sunt devincti, nexu sponderi curabimus, quæ hic subsequuntur: (NOS BARONES ac PRÆLATI, ordo equestris, & civitatis, Ducatum, Principatum, comitatus Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ, Gutzcoviæ, cunctarumque aliarum ditionum, recipimus ac spondemus Illustrissimis Principibus ac Dominis, Dominis GEORGIO, &



GIO, & Domino BARNIMO, fratribus germanis, Stetini, Pomeraniæ; Cassubiæ, Vandalia Ducibus, Rugiæ Principibus, Gutzcoviæ Comitibus, Dominis nostris clementibus, jurisjurandi instar, sub fide bonorum virorum, subq; fidelitatis quo ipsis obstringimur vinculo, pro nobis, heredibus nostris ac posteris, in perpetuum, si accidat, quod DEUS diu propitius avertat, ut Principibus nostris Stetini, Pomeraniæ &c. præmemoratis, aut progeniei ipsorum masculæ feudatariæ, continuâ serie, in perpetuum, aliquid humanitus contingat, iiq; in vivis esse desierint, nos tunc neminem alium Dominum ac Principem nostrum hereditarium agnituros, aut accepturos quàm Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum JOACHIMUM Marchionem Brandenburgicum, Electorem, ipsiusve progeniem masculam feudatariam, & successores, Marchiones Brandenburgicos, pro tempore Electores, continuâ serie in perpetuum iisque tunc continuo à devolutione ista factâ, absque ulla detractione, aut exceptione, sacramentum fidelitatis hereditariæ dicturos, omniaq; ea, ad quæ subditi fideles Principibus suis ac Dominis legitimis obstricti tenentur, præstituros, omni dolo ac fraude exclusâ.)

Quemadmodum etiam nobis præsentibus re ipsa id effectum fuit datum. Quotiescunque autem deinceps nobis aut aliis pro tempore ad reipublicæ clavum sedentibus Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia Ducibus, Rugiæ Principibus, Gutzcoviæ Comitibus humanitus quid contigerit, nosque tunc sacramentum fidelitatis à ditionibus nostris sumpturi fuerimus, bimestri antè ea de re à nobis, heredibus nostris ac successoribus, in perpetuum, quilibet pro tempore Elector

B

Bran-



Brandenburgicus, fiet certior, ut consiliarios suos mittat actui isti interfuturos: cunctarumque ditionum nostrarum Ordines sub finem sacramenti quod nobis, ut Principibus suis legitimis, sunt dicturi in praesentia Electoris Brandenburgici consiliariorum in sequentia juratò adigentur capita.

(QUOD si eveniat, ut Principes nostri, Duces GEORGIUS ac BARNIMUS, quod DEUS diu avertat, aut progenies eorum feudataria mascula, diem obirent suum, aut deinceps, serie continua in vivis esse desinerent, tunc nos neminem alium legitimum nostrum Principem ac Dominum agnituros, accepturos, aut habituros, quàm Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum JOACHIMUM, Marchionem Brandenburgicum, Sacri Romani Imperij Archicamerarium ac Electorem, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia Ducem, Burggravium Norimbergensem, ac Rugiæ Principem, Dominum nostrum Clementissimum, Serenitatis ipsius succesores, Marchiones Brandenburgicos, pro tempore Electores, continua serie, in perpetuum, iisque continuo à quolibet eventu casuum istorum, absque ulla tergiversatione aut exceptione, sacramentum fidelitatis hereditarium, omniaque ea præstituros, quibus præstandis fideles subditi erga Principem suum ac Dominum legitimum sunt devincti: idque sub fide nostrà. Absque fraude, sic DEUS nos juvet, omnesque ipsius Sancti:)

Quotiescunque præterea nos, heredes nostri ac succesores, à novæ hujus pactionis sanctione, in posterum vasallis nostris ac feudatariis, præter commune fidelitatis sacramentum, investituras sumus impartituri, vasalli isti nostri ac feudatarii, cuncti ac pro se quisque  
in ca-



in caput præmemoratum sub finem jurisjurandi sui feudatarii, à nobis Stetini, Pomeraniæ Ducibus, uti supra indicatum, juratò adigentur.

Nos quoque & progenies nostra mascula hanc obligationem, quoties Marchio quidam Brandenburgicus Elector, aut unus alterve Ducum Stetini, Pomeraniæ, qui reipublicæ præsit, fatis concedit; cuilibet rerum potienti Marchioni Brandenburgico, pro tempore Electori, continua serie, in perpetuum, instrumento per scripto renovabimus: idemque progenie nostra masculâ, cum descendantibus suis masculis quo quisque vivet tempore, donec casus præmemoratus acciderit, quod jam dictum est ac expressum facturâ: Nec cuiquam alii sacramentum à nostris populis dici permittemus, aut quicquam aliud ullo instituemus modo, quod huic nostræ obstrictioni sit fraudandæ aut labefactandæ: ac etiamsi quid forte his præjudicio aut fraudi futurum attentaretur, id ipsum tamen cassum, & omnis efficaciam erit expers: Ad eundem quoque modum Prælatis nostri, Barones, Vasalli, civitates, populi & ipsorum posterii, sub fide juramenti suprascripti, se sunt gesturi, obligationemque suam, quotoquoque casu uti præmemoratum est, renovaturi. Quod si etiam accidat, ut uno aut alio tempore, quo ista obligationis renovatio venerit præstanda, Marchio ad quem Electoratus ac rerum arbitrium, ac proinde stipulatio istius obligationis renovandæ, spectet, in minorenni sit ætate; ob idque Electoratus ac regiminis capeffendi nondum habeat facultatem, prout Aurea Bulla id præscribit: à nobis, progenie nostra mascula feudataria, Prælatis item nostris, Baronibus, Vasallis, civitatibus, omnibus denique subditis, eorumque posteris, dictorum nostrorum Ducatum,



Principatum, Comitatus, ac ditionum, sine exceptione, obligatio ista ejusque renovatio, tutoribus ejus, ipsius loco ac nomine erit præstanda. Ita tamen, ut admoto tandem ad Electoratus gubernacula Marchioni isti Brandenburgico, Electori, obligatio hæc renovatioque, adstantibus ipsius Consiliariis ab ipso huic rei delegatis, eo quo dictum est modo, denuò præstetur, hocque ita peracto, obligatio ejusque renovatio tutoribus ante facta, censenda est abolita, ac ultimæ isti nostræ obligationi, supramemoratæ stabitur. Ultra istam nostram nostrorumque obligationem iidem Prælati, Barones, Vasalli, ac civitates, in traditione talis obligatorii instrumenti, in publico conventu, adstantibus dicti nostri Domini ac cognati Marchionis JOACHIMI, Electoris, aut successorum ipsius Marchionum ac Electorum Brandenburgicorum, quos quolibet tempore ad id delegaturi sunt, consiliariis, nobis juratò spondebunt, se, casu eveniente, eidem Electori, successoribusque ipsius Marchionibus ac Electoribus Brandenburgicis, continua serie, in perpetuum, utpote genuinis ac legitimis suis Principibus ac Dominis, ac nemini alii, fidei obsequium addicturos, à quâ sponsione ac sacramento, instrumentoque ipsorum obstrictorio, quotiescunque casus extiterint, nec ipsi nec posteriores eorum ullo futuro ævo, à nobis, progenie nostra, continua serie, unquam absolvendi sunt: Ac etiamsi id fieret, nihil tamen valebit, nec ab ipsis erit agnoscendum, ullo prorsus modo: Quodocunque etiam ab Majestatibus Cæsareis Romanis aut Regiis nos ad obsequia ob Principatus & ditiones nostras citabimur, pro officio obedientium Imperii Principum, ea ad quæ tenemur & sumus obstricti, omninò repræsentata-



sentabimus. Quin & tituli, cum insignibus Stetinensium,  
Pomeranarum, cunctarumque reliquarum istarum di-  
tionum nostrarum, utrinque & simultam à Stetini,  
Pomeraniæ Ducibus, quàm ab Electoribus Branden-  
burgicis, vñ conventionum coràm Principibus arbitris  
hac in parte pactarum, usurpabuntur. Utrinque præ-  
terea, ex jure familiaritatis mutuò nos, quoad nostras  
personas, titulis dictarum ditionum nostrarum, Steti-  
ni, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ, Gutzco-  
viæ, insigniemus, nobis tamen in eo non obstrictis:  
idemque stylus erga cæteros quoq; Marchiones obser-  
vabitur. Ordines autem ditionum nostrarum nihilo-  
minus Electori Brandenburgico, cæterisque Marchi-  
onibus Brandenburgicis, eos titulorum honores omni-  
nò deferent. Hæc tamen amica transactio & conventio,  
nec carissimo Domino nostro & cognato, Marchioni  
JOACHIMO Brandenburgico, Electori, heredibusve  
ejus ac successoribus, Marchionibus Brandenburgicis,  
ac Electoribus, continuâ serie, in perpetuum, nec nobis,  
progenieive nostræ masculæ, continua serie, in perpe-  
tuum, quoad ipsorum, aut nostra hereditaria, Cæsarea,  
Regia, cunctave alia jura, in ullis eorum clausulis, arti-  
culis aut membris, quibus quidem huic nostræ obliga-  
tioni & actui non adversantur, aut ullo modo sunt im-  
pedimento, aut labefactioni, ullo unquam erit præju-  
dicio. Ita ut actus hi & contractus, in omnibus eorum  
clausulis, capitibus ac membris supra memoratis, ex ar-  
gumento hujus nostri instrumenti obligatorii, illiusque  
vicissim monumenti ab Electore obsignati & nobis  
exhibiti, absque ullo suffugio, exceptione, aut obtensione  
Electoris aut nostrorum hereditariorum, Imperatori-  
orum, Regiorum, aut aliorum quorumvis jurium, in  
B ; omne



omne ævum vim retinere debeant firmissimam ac in-  
violabilem: sine omni fraude aut oblocutione. Cuncta  
ergò præmemorata capita ac membra, & singula, nos  
GEORGIUS ac BARNIMUS fratres germani,  
Stetini, Pomeraniæ Duces, pro nobis, progenieque  
nostra mascula, continua serie, dicto nostro carissimo  
Domino & cognato, Domino JOACHIMO, Mar-  
chioni Brandenburgico, Electori, sub fide nostra Prin-  
cipali recipimus ac spondemus in perpetuum in viola-  
biliter observaturos. Cujus rei testandæ sigillum no-  
strum his appendi mandavimus, quæ dabantur Stetini,  
die Lunæ, post Virginum undecim mille Festum, à nato  
CHRISTO anno millesimo, quingentesimo, vigesi-  
mo nono.

*Pacta hereditaria, anno 1529 inter Marchionem JOA-  
CHIMUM Electorem Brandenburgicum, ex una,  
& GEORGIUM ac BARNIMUM Pomeraniæ  
Duces, ex altera parte super ditionibus Pomeranis, in  
iisq; futura successione, inita, uti ea ab Ordinibus pro-  
vinciarum Pomeranarum obsignata fuerunt ac edi-  
ta.*

**N**OS BARONES, PRÆLATI, Vasalli, civita-  
tes, cunctique subditi ac incolæ Ducatum ac  
Principatum Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Van-  
daliæ, Rugiæ, ac comitatus Gutzcoviæ, testamur ac pub-  
licè notum volumus hoc instrumento nostro, pro nobis,  
progenieq; nostra ac posteritate. Cum Ducatus ac Prin-  
cipatus Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ, Rugiæ,  
comitatumq; Gutzcoviæ, cum omnibus & singulis eo-  
rum territoriis, Dominiis, ac juribus ab Imperatoribus  
olim Romanis ac Regibus Electores Brandenburgici  
obra-



ob rationes gravissimas, ex peculiari gratia, feudo obti-  
nuerint masculino, iisque fuerint investiti, unde dissi-  
dia inter Serenissimum Principem, Dominum JOA-  
CHIMUM, Marchionem Brandenburgicum, Sacri  
Romani Imperii Archi-Camerarium & Electorem, Ste-  
tini, Pomeraniæ, Cassubiorumq; Ducem, Burggravium  
Norinbergensem, Rugiæq; principem, Dominum no-  
strum clementissimum, nec non Illustrissimum Princi-  
pem ac Dominum, Dominum BOGISLAVIUM, Steti-  
ni, Pomeraniæ, Cassubiorum ac Vandalorum Ducem,  
Principem Rugiæ ac Gutzcoviæ Comitem, Dominum  
nostrum clementem, laudatæ memoriæ, orta pactioni-  
bus quidem sopita, ex iisdem tamen inter eundem Ele-  
ctorem dictumque nostrum Dominum, Ducem BO-  
GISLAVIUM multifariam resuscitata, ac ad Illustrissi-  
mos Principes & Dominos, Dominum GEORGIUM,  
ac Dominum BARNIMUM, fratres Germanos,  
Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum Duces,  
Rugiæ Principes, & Gutzcoviæ Comites, Dominos ac  
Principes nostros clementes, uti ipsius prolem, contro-  
versa sint transmissa, quibus componendis Elector ac  
Principes dicti varias instituerunt negotiationes ac col-  
loquia, absque tamen diremptionis profectu, donec  
Serenissimus Elector & illustrissimi isti Principes, in-  
terventu Illustrissimorum itidem Principum ac Do-  
minorum, Domini ERICI, & Domini HENRICI  
junioris, Brunsvici & Luneburgi Ducum, Domino-  
rum nostrorum clementium, ex omnibus istis dissi-  
dis finali transactione in plenam invicem redierunt  
gratiam, uti capita serie sua consequentia dilucidè o-  
stendunt, hæc nempe, ut Principes nostri, Dux GE-  
ORGIUS, ac Dux BARNIMUS & ipso-  
rum



rum progenies mascula feudataria, continua serie, in perpetuum, quoad ex eorum stirpe quis sit superstes, Stetini, Pomeraniæ Dux, Rugiæ Princeps, & Comes Gutzcoviæ, vî conventionis, & argumento à dicto Serenissimo nostro Domino, Marchione J O A C H I M O Electore in itæ amicæ transactionis, editique Principibus nostris, Stetini Pomeraniæ Ducibus instrumenti, post sancitam ab iis hanc novam, simulque à nobis fide nostrâ instar jurisjurandi interposita, ob signatam pactionem, quotiescunq; deinceps opus fuerit omnes suas ditiones, quæ supra fuerunt denominatæ ab Imperatoribus ac Regibus Romanis, feudo accipere possint, nullo à Marchione J O A C H I M O Electore Brandenburgico ipsiusve progenie, ac successoribus, Marchionibus Brandenburgicis, Electoribus, continuâ progeniei serie impedimento, hâc conditione, ne id fieri debeat nisi præsentibus quolibet Electore, continua serie, aut ipsius Consiliariis delegatis, ita nempe, ut Principes nostri, Stetini, Pomeraniæ Duces continuaque eorum progenies, in perpetuum, ejusmodi suam acceptionem feudalem, cuilibet pro tempore ad gubernacula sedenti Electori Brandenburgico, trimestri ante significant, quo is, si ita videbitur, aut ipse interesse, aut suos eò delegare ac mittere queat, ad recipiendam unâ cum Principibus nostris, eorumque progenie, ac successoribus continuâ serie simultaneam investituram, prout ejusmodi simultanearum acceptionum feudalium juris est & consuetudinis, qua in re à Principibus nostris Electori Brandenburgico nullum adferendum est obstaculum.

At si præviâ ejusmodi à Principibus nostris, Stetini, Pomeraniæ Ducibus, trimestri ante, Electori Brandenburgi-



burgico, significatione accipiendorum Regalium, nec Elector ipse adsit, nec suos eò mittat, Principes nostri, Pomeraniæ Duces, receptionem Regalium suorum, amplius differe, pro tempore, non tenebuntur: vicissim ab Electore Brandenburgico, argumento hujus conventionis, absque præjudicio suæ simultaneæ investituræ, Principibus nostris, Pomeraniæ Ducibus, recipiendis istis suis, uti dictum est, ab Imperatoribus, Regibusve Romanis, regalibus, in posterum nullum proficiscetur impedimentum. Principes etiam nostri, Pomeraniæ Duces, progeniesque eorum, ac successores, continua serie, in perpetuum, si quid humanitus alicui ex ipsis accidat, eo quo dictum est modo, Regalia sua ab Imperatoribus Regibusve Romanis non sunt recepturi: nisi renovatione novæ hujus pactiois ab ijs una nobiscum, ut ipsorum ordinibus provincialibus Electori Brandenburgico, qui pro tempore extiterit: in omnibus suis capitibus instrumento obsignatorio prius factâ, sacramentôque fidelitatis hereditariæ, eâ, qua infra memorabitur, ratione in eventum à nobis dicto: ita tamen ut Principes nostri Electori Brandenburgico, ac deinceps cuilibet pro tempore Electori, id bimestri ante, uti infra sequetur, denuntient, eaq; quæ jam dicta sunt intra denunciatum bimestre præstent. Reservatum tamen ac integrum erit Electori familiæq; Brandenburgicæ, ut quotoquoq; casu, ac ubi usus fuerit, cum alijs suis Regalibus, etiam Ducatus, principatusque Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ, comitatumq; Gutzcoviæ, cum omnibus alijs Principum nostrorum ditionibus, quocunq; nomine veniant, sine exceptiõe, à Cæsaribus Regibusve Romanis accipiant, prout ab antiquo semper, absq; obstaculo fuit factum.

C

ac ob-



ac observatum, idq; sine nulla à Principibus nostris, Pomeraniæ Ducibus, ipsorumve progenie & successoribus, in perpetuum, impeditio. Convênit præterea inter Serenissimum Dominum nostrum, Marchionem JOACHIMUM Brandenburgicum, Electorem, pro ipso, ac progenie sua, successoribusq; in perpetuum Principesq; nostros, ut isti Principes nostri, Stetini, Pomeraniæ Duces, progeniesq; eorum ac successores, continua serie, in perpetuum sessionem ac suffragium absq; impedimento in sacro habeant Imperio: ita tamen ut principes nostri, Stetini, Pomeraniæ Duces, continua progeniei suæ serie, in perpetuum, præ nullo ad gubernacula reipublicæ sedente Marchione Brandenburgico, sessionem illam ac suffragium obtineant: quod etiam principes nostri se, progeniemq; suam, continua ejus serie, in perpetuum, vî hujus novæ conventionis, ita observaturos, fidem suam obstrinxerunt, Porrò ut Domino JOACHIMO, Marchioni Brandenburgico, Electori, Domino clementissimo, ipsius progeniei ac successoribus, Electoribus, continua descendentium serie, in perpetuum, in ipsorum acquisitis Regalibus, donationibus, indultis Imperatorijs, Regijsve, immunitatibus, juribusque hereditarijs, alijsve omnibus, nullum plane extet præjudicium, delibatio, aut diminutio, quin potius eorum omnium sufficiens cautio & idonea securitas: præmemorati principes nostri, Dux GEORGIUS, ac Dux BARNIMUS, fratres Germani, animo deliberato, libera voluntate, verà notitiâ, consilioque nostro, pro se, suaque progenie mascula feudataria, atque sic deinceps continua posteritatis suæ serie, denuò sunt assensi, seque obligaverunt, si ipsi, quod DEUS diu præcaveat, sine prole mascula de-



la decedunt, aut soboles ex ijs procreata sine progenie  
masculina feudataria, sicque continua posterorum se-  
rie, in perpetuum deficiat, tunc omnes ac singulos  
suos Ducatus, ac Principatus Stetini, Pomerania, Cas-  
tubiorum, Vandalorum, Rugia, Comitatum Gutzco-  
via, cunctas eorum provincias, cum omnibus quæ ad  
eas spectant, sine exceptione, quocunque nomine o-  
mnia aut singula veniunt, ad Electoratum Marchia  
Brandenburgica, præmemoratumque serenissimum  
nostrum Dominum, Marchionem JOACHIMUM,  
Electorem, progeniemque ipsius, ac successores, Mar-  
chiones Brandenburgicos, pro tempore Electores,  
continua posteritatis serie, in perpetuum, ex prædictis  
eorum acquisitis, & continuatis concessionibus Cæ-  
sareis, Regijsve immunitatibus, alijsque quibusque ju-  
ribus, transmissum ac devolutum iri, absque omni ex-  
ceptione aut oblocutione. Ad eundem modum, quò  
ista omnia strictius observentur, Nos quoque Barones,  
Prælati, Vasalli, & civitates, cunctique subditi & incolæ  
Ducatum, principatumque comitatus item & ditio-  
num prædictarum, unâ cum Principibus nostris Duce  
GEORGIO, & Duce BARNIMO, nos erga  
præmemoratum Serenissimum nostrum Dominum,  
Marchionem JOACHIMUM, Electorem, ipsius  
progeniem, successores Marchiones Brandenburgicos,  
Electores, continua posterorum serie, in perpetuum,  
sub fide nostra, ac honore, in eventum, stipulatâ denuò  
manu, jurisjurandi instar, quo principibus nostris de-  
vincti sumus, sub sigillorum nostrorum firmamento  
obligavimus, obligamusque de novo, recipimus ac  
spondemus plenâ notitiâ, voluntate, assensu, singulari-  
que jussu dictorum Principum nostrorum, Ducis GE-  
C 2 ORGII,



O R G I I, ac Ducis B A R N I M I, pro nobis, proge-  
nie nostra, ac posteritate, sub honore & fide nostra, in-  
star jurisjurandi, subque fidelitatis nexu, quo Princi-  
pibus nostris præmemoratis obstringimur: Si fortè  
accidat, ut Principes nostri, Dux G E O R G I U S, ac  
Dux B A R N I M U S, fratres Germani, quod D E U S  
diu avertat, aut ipsorum progenies mascula feudataria,  
absque progenie mascula feudali, sicq; deinceps conti-  
nua posterorum serie, fatis concedant, nos tunc ne-  
minem alium legitimum nostrum Dominum ac im-  
perantem Principem agnituros, accepturos, aut habitu-  
ros, quam sæpe dictum Dominum J O A C H I M U M,  
Marchionem Brandenburgicum, posterosque ipsius, ac  
successores Marchiones Brandenburgicos, pro tempore  
Electores, continua posteritatis serie, in perpetuum, iis-  
que tunc continuò absq; omni tergiversatione aut exce-  
ptione, sacramentum fidelitatis hereditariæ, cunctaq;  
ea præstituros, quæ subditi fideles Dominis suis ac Prin-  
cipibus legitimis obstricto nexu debent. Statim etiam à  
sancitâ ac obsignata hæc nova conventionem, Principibus  
nostris, Pomeraniæ Ducibus, in præsentia Electoris se-  
renissimi Consiliariorum, in eventum stipulata manu,  
instar sacramenti, sub fide nostra ac honore, subq; vin-  
culo isto, quo Principibus nostris addicti sumus sponde-  
bimus, quæ hîc subsequuntur.

(N O S B A R O N E S, P R Æ L A T I, Equites, ac ci-  
vitates Ducatum, principatum, ac comitatus Stetini,  
Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ, Gutzcoviæ, o-  
mniumq; cæterarum ditionum, vovemus ac spondem⁹  
Illustrissimis Principib. ac Dominis, Domino G E O R G I O,  
ac Domino B A R N I M O, fratribus Germanis, Ste-  
tini, Pomeraniæ, Cassubiorum, ac Vandalorum Duci-  
bus, Ru



bus, Rugiæ Principibus, Gutzcoviæ comitibus, Dominis  
ac Principib. nostris clementibus, pro nobis progenie  
nostra ac posteritate in perpetuum: Si forte accidat,  
quod DEUS avertat propitius, ut humanitus quid dictis  
Principibus nostris Stetini, Pomeraniæ Ducibus, aut  
progeniei ipsorum Masculæ feudali, in perpetuum, con-  
tinua posterorum serie, contingat, ijq; in vivis esse desis-  
sent, nos tunc neminem alium Dominum nostrum ac  
Principem legitimum accepturos, agnituros aut habi-  
turos esse, quam serenissimum Principem ac Dominū  
Dominum JOACHIMUM, Marchionem Brandenbur-  
gicum, Electorem, ipsiusve progeniem masculam feu-  
dalem, ac successores Marchiones Brandenburgicos, pro  
tempore Electores, continua posteritatis ipsorum serie,  
in perpetuum, iisq; tunc, postquam casus extiterit, con-  
tinuò absq; omni tergiversatione aut exceptione, sacra-  
mentum fidelitatis hereditariæ cunctaq; ea quæ fideles  
subditi Dominis suis ac Principibus legitimis debent,  
præstituros, excluso omni dolo ac fraude: ) Quod etiam  
in hoc ipso temporis puncto à nobis reipsa fuit factum.

Quotiescūq; autem posthac humanitus quid Prin-  
cipibus nostris, imperantibus Stetini, Pomeraniæ, Cas-  
subiorum, Vandalorum Ducibus, Rugiæ Principibus,  
Gutzcoviæ Comitibus acciderit, nobis tunc Principibus  
nostris Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum,  
Rugiæ, Gutzcoviæ, sacramentum fidelitatis hereditariæ  
dicturis id bimestri ante à Principibus nostris, eorumve  
progenie, ac posteris, in perpetuum, cuilibet pro tempo-  
re Electori Brandenburgico, ut consiliarios suos eam ad-  
rem deleget, significabitur, nosq; cunctarum provinci-  
arum ordines sub finem sacramenti Principibus nostris  
præstandi, adsistentibus Serenissimi Electoris Branden-  
burgici



Burgici consiliariis, in capita hęc sequentia sponsonem  
nostram juratam interponemus: ( Sique accidat, ut  
Principes nostri, quod DEUS diu præcaveat, proge-  
niesve eorum mascula feudataria, continua postero-  
rum serie, vitâ decedant, nos neminem alium Domi-  
num nostrum ac Principem legitimum accepturos, a-  
gnituros aut habituros esse, quam Serenissimum Prin-  
cipem ac Dominum, Dominum JOACHIMUM,  
Marchionem Brandenburgicum, Sacri Romani Imperij  
Archicamerarium ac Electorem, Stetini, Pomeraniæ,  
Cassubiorum ac Vandalorum, Ducem, Burggraviam  
Norimbergensem, Rugiæ Principem, Dominum no-  
strum clementissimum, ipsiusq; progeniem, Marchio-  
nes Brandenburgicos, pro tempore Electores, continua  
posterorum serie, iisq; tunc continuò ab ejusmodi fa-  
torum casu, sine omni tergiversatione aut exceptione,  
juramentum fidelitatis hereditariæ, omniaq; ea, quæ  
subditi fideles Principi suo ac Domino legitimo debent,  
præstituros: Fideliter & absq; fraude, ita nos DEUS juvet,  
& omnes ejus sancti) Quoties præterea Principes nostri,  
Pomeraniæ Duces, ipsorumve posteri, continua eorum  
serie, à sancitâ hâc novâ pactione, in posterum Vasallis  
suis, extra publicum communis fidelitatis sacramētum,  
feuda sua sunt collaturi, omnes isti Principum nostro-  
rum Vasalli ac feudatarij, singulique modò dicta capita  
sub finem juramenti feudatarij, principibus nostris Ste-  
tini, Pomeraniæ, uti præscriptum est, juratò simul spon-  
debunt. Nos quoq; & posteri nostri, si fortè Marchio  
quidam Brandenburgicus Elector, aut ex Ducibus Ste-  
tini, Pomeraniæ ad gubernacula sedentibus quispiam è  
vivis excedat, hanc nostram obligationem cuilibet re-  
rum pro tempore potenti Marchioni Brandenburgico,  
Electo-



Electori, instrumento nostra obsignato renovatam e-  
demus, ac in editione ejusmodi nostri instrumenti, in  
publico conventu, dum principibus nostris Stetini, Po-  
meraniæ, Cassubiorum, Vandalorum Ducibus, Rugiæ  
Principibus, Gutzcoviæ Comitibus, pro tempore gu-  
bernantibus, juramentum fidelitatis præstamus, aut si  
id jam præstitum sit Principibus nostris, in præsentia  
consiliariorum à Serenissimo Domino nostro, Domino  
JOACHIMO, Electore, aut ipsius progenie, ac po-  
steris Marchionibus Brandenburgicis, Electoribus,  
continuâ posteritatis ipsorum serie, in perpetuum, ad  
id delegatorum, sub fidei sacramento quod Principibus  
nostris diximus, & dicturi sumus, simul vovebimus ac  
spondebimus, quemadmodum etiam in editione hu-  
jusce nostri instrumenti Principibus nostris, Duci GE-  
ORGIO, ac Duci BARNIMO, ipsorum jussu ac  
mandato assistentibus sæpè dicti Serenissimi nostri  
Domini, Marchionis JOACHIMI, Electoris,  
consiliariis fecimus, nos nimirum, sicubi Principibus  
nostris, Duci GEORGIO ac Duci BARNI-  
MO, aut progeniei ipsorum, sicque deinceps in perpe-  
tuum, fatale quid, ac proinde gubernaculorum muta-  
tio, uti antea est memoratum, eveniat, tunc prædicto  
Serenissimo nostro Domino, Marchioni Brandenbur-  
gico, Electori ipsiusque posteris Marchionibus Bran-  
denburgicis, Electoribus, continua progeniei serie in-  
perpetuum, utpote genuinis nostris ac legitimis princi-  
pibus ac Dominis adhæsurus, iisque continuò, uti præ-  
scriptum est, sacramentum fidelitatis dicturos, quo-  
toquoque etiam casu, unâ cum Principibus nostris,  
pro tempore reipublicæ clavum tenentibus Stetini,  
Pomeraniæ Ducibus, hanc nostram obligationem ac  
fidem



fidem renovaturos, iusjurandumque uti supra, præ-  
stituros: Si vero contingat, ut quocunque tempore ob-  
ligationis istius aut ejusdem renovationis præstandæ,  
Marchio, ad quem Electoratus cum Regimine pertine-  
at, & ad cujus proinde manus renovatio foret facien-  
da, minorennis, nec ob id, ex norma Aureæ Bullæ, regi-  
minis ac Electoriæ dignitatis capeßendæ ad præsens ha-  
beat facultatem, tunc cuncti nos posterique nostri Baro-  
nes, Prælati, Vasalli, Civitates, cuncti item incolæ prædi-  
ctorum Ducatum, principatum, comitatus ac ditio-  
num istam obligationem ejusque renovationem ipsius  
Tutoribus ejus loco & nomine præstabimus: ita tamen,  
ut admoto tandem ad gubernacula Electoratus isto mi-  
norenni Marchione Brandenburgico, nos hanc obligati-  
onem ejusque renovationem ipsi gubernationem jam  
capeßenti Marchioni Electori adsistentibus ipsius con-  
siliariis, quos eam ad rem destinaverit, quo dictum est  
modo, præstemus, eoque peracto obligatio renovatioque  
Tutoribus facta, censeatur cassa, huicque ultimæ obliga-  
tioni stetur. Hac porro devinctione, ejusque renovatio-  
ne, fide & sacramento nos, posterosve nostros prædicti  
Principes nostri, Duces GEORGIUS ac BARNI-  
MUS, progeniesve eorum mascula feudalis, continua  
sua serie, prout sese obstrinxerunt, aut quisquam alius,  
nunquam exolvit, aut si forte id fiat, nos eam disso-  
lutionem nostræ fidei, ac sponfionis non agnoscemus,  
neque id ullatenus in nostra erit facultate. Quòd  
si etiam dicti nostri Principes, Dux GEORGIUS  
ac Dux BARNIMUS, ipsorumve progenies mascu-  
la feudalis, continua sua serie, dum superstites sunt,  
& ante casus eventum, cuiquam alii præmemoratos  
Ducatus, Principatus, Comitatum, ac ditiones, cun-  
ctas



etas aut ex parte transcribere, sacramentumque curare,  
dicendum velint, quod tamen ex norma Principum  
nostrorum Ducis GEORGII, ac Ducis BARNIMI,  
obligationis, usu utique non veniet, ei, cui ditiones  
transcriberentur, nos nullum planè sacramentum dice-  
mus, nec translationi ejusmodi, aliive rei cuicunque,  
quæ ullo modo Principum nostrorum, Ducis GEOR-  
GII, ac Ducis BARNIMI, nostræque huic obligati-  
oni sint labefactandæ, dictoque Serenissimo nostro  
Domino, Domino Marchioni JOACHIMO Electo-  
ri, ejusve progeniei ac successoribus Marchionibus  
Brandenburgicis, pro tempore Electoribus, continua-  
posterorum serie, in perpetuum, detrimento, sumus  
assensuri: Sicubi autem quid ejusmodi in contrarium  
fieret, id nullius erit momenti aut pretii. Si præterea,  
accidat, ut unus alterve nostrorum Principum Stetini,  
Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandalia, Rugiæ, Gutzcoviæ,  
Ducatus istos suos ac principatus, comitatumve Gutz-  
coviæ, alii cuidam Domino, quicunque is fuerit, addi-  
cere, aut si quis ex nobis, cujuscunque status aut condi-  
tionis is fuerit, istos Ducatus, Principatus, Comitatum,  
ac ditiones, cum omnibus aut singulis ad eas pertinen-  
tibus membris, sibi applicare præsumpserit, contra eos,  
auxilio præmemorati Serenissimi nostri Domini, Mar-  
chionis JOACHIMI Electoris, ipsiusque posterorum  
ac Successorum, pro tempore Marchionum Branden-  
burgicorum, ac Electorum, fideliter tendemus, neque  
id concedemus: Sed huic nostræ obstrictioni plenam  
ac integram præstabimus satisfactionem, contra eos,  
Serenissimo Domino nostro, Marchioni JOACHIMO,  
Electori ipsiusq; progeniei ac successoribus Brandenbur-  
gicis, Electoribus, juribusque ipsorum, ex præscripto  
D hujus



hujus obligationis, pro omnibus nostris viribus operam  
laturi.

Quandocunque etiam Principes nostri à Cæsareis  
& Regiis Majestatibus Romanis, ad obsequia & offi-  
cia ratione principatum ac ditionum suarum cita-  
buntur; pro munere obedientium Principum Imperii,  
quæ ipsis incumbunt, usquequaque exequentur. Ti-  
tuli quoque cum insignibus Stetinensium, Pomerana-  
rum, cunctarumque aliarum Principum nostrorum,  
Stetini, Pomeraniæ Ducum ditionum, tam ab ipsis, eo-  
rumque progenie, ac successoribus, quam à Serenissi-  
mo Electore, ipsiusque progenie ac successoribus, ex  
norma conventionis à Principibus arbitris hac in par-  
te determinatæ, usurpabuntur. Et Principes nostri  
Pomeraniæ, Serenissimusque noster Dominus, Ele-  
ctor Brandenburgicus, ex jure familiaritatis, mutuò si-  
bi, quoad eorum personas, titulos ditionum istarum,  
Stetini, Pomeraniæ Cassubiæ, Vandaliciæ, Rugiæ, Gutz-  
coviæ, tribuent: Attamen nec Principibus nostris,  
nec Serenissimo Electore ad id præcisè obstrictis. I-  
dem & erga cæteros Marchiones Brandenburgicos  
observabitur stylus. Nos vero, Ordines, titulorum  
istorum honorem Electori Brandenburgico, cæteris-  
que Marchionibus Brandenburgicis undiquaque de-  
feremus. Neque amica hæc compositio ac transactio  
omnium quæ supra sunt perscripta, capitum, Serenissi-  
mo nostro Domino, Marchioni J O A C H I M O,  
Electori, progenieive ipsius, cotinua ejus serie, in per-  
petuum, successoribusque Marchionibus Brandenbur-  
gicis, Electoribus, in suis, nec Principibus nostris, Duci  
GEORGIO ac Duci BARNIMO, in ipsorum  
juribus hereditariis, Imperatoriis, Regiis, Principali-  
bus,



bus, aliisque in omnibus eorum clausulis, & capitibus, quibus quidem huic obligationi ac transactioni non adversantur, nec eam ullo modo labefaciunt, ullatenus erit præjudicio: adeò ut conventio hæc ac compositio in cunctis suis clausulis, articulis, capitibus, uti præmemoratum est, argumento hujus nostri instrumenti, nec non literarum à Serenissimo Electore nobis vicissim obsignatarum editarumque, sine ullo suffugio, exceptione, aut obtentu dictorum Principum nostrorum, aut nostrorum ipsorum hæreditariorum, Cæsareorum, Regionum, aliorumvè jurium, in omneævum, firma, rata, ac inviolabilis sit futura, eique sua perpetuò constituta authoritas: Absque exceptione aut fraude. Cuncta ergo supra memorata capita ac articulos, singulosque, nos Barones, Prælati, Vasalli ac civitates sæpe dictorum Ducatum, Principatum, Comitatus ac ditionum, pro nobis, posterisque nostris continua eorum serie, Serenissimo Domino nostro Machioni JOACHIMO, Electori ipsius progeniei, ac Successoribus Marchionibus Brandenburgicis Electoribus, perpetua posteritatis eorum serie, perpetim ac inviolabiliter observare, sub fidei nexu, honoris pignore, ac jurisjurandi religione recipimus ac spondemus.

Quibus testandis, nos infra scripti Prælati, Barones, Vasalli, ac Civitates, nempe, Valentinus Colbicensis, Evvaldus Eldenavenensis, Johannes Trampensis, Matthias Stolpensis, Georgius Heydenseensis, Henricus Bucavenensis, & Joachimus Budglavenensis, Abbates: Pripslavius Kleis, Cantor Caminensis, Jodocus Bruckhausensis ad S. Mariæ, Jacobus Rigebrecht ad S. Ottonis Stetini Decani, Johannes

D 2

Otto



Otto Doctor ad. S. Nicolai Gribſvaldæ: Capitulorum  
legati ac mandatarij. Alnoldus Præpoſitus Jaſnicenſis,  
Ehvvaldus ab Oiten, Otto à Wedel, & Conradus Kra-  
kevitz Equites, Gotschalck à Veldheim in Wilden-  
bruc, Ehevoldus Frucker in Jachavv Commendatores,  
Achimus Molzan, Georgius à Dietz, Henningus Borck  
in Labefee, Georgius Borck in Stramuhl, Vincentius  
à Wedel, Jacobus & Casparus Fleminck, Georgius  
ab Oeſten, Bernhardus & Georgius Buxenhagen, Vin-  
centius ab Eichſtedt, Reichardus à Schuilenburg, Jo-  
hannes Vos, Marcus Pudtcamer, Joachimus Put-  
camer, Casparus ac Martinus in Zevvitzen, Georgius  
& Johannes Streyentien, Johannes & Marcus Bere,  
Nicolaus & Chriſtophorus Raimon, Johannes Oſtain,  
Johannes & Uldalricus Schvverin, Jacobus & Morus  
Lindtſtede, Willichius & Johannes Manteuffel, Jaco-  
bus à Priebſvalde, Kleiffius, Zabelus & Henricus à  
Walde, Achimus & Jacobus Pudevveis, Johannes à  
Schöningen, Jodocus & Georgius Cuſſou, Otto &  
Johannes Glaſenap, Martinus Teſe, Nicolaus & Zo-  
belus Leppel, Martinus & Nicolaus Billerbeck, Ehvval-  
dus ab Heydenbrocke, Aſmus Muckervvitz, Achimus  
Ilenfeldt, Joachimus Benou, Chriſtophorus Kruelmel,  
Honnigſtanius Reloff, Wolfgangus Casparus Appen-  
borck, Joachimus Walsleffe, Ehvvaldus Plucher, Geor-  
gius & Henricus Steinvvar, Joachimus & Iohannes Gū-  
tersberg, Ioachimus & Bartholomæus Briſchavv, Chri-  
ſtianus Schonpeck, Nicolaus Trampe, Ioachimus Bre-  
denloffe, Henningus Bole, Iohannes Krampzau, Wil-  
lichius à Platou, Lucius Norman, Balthaſar à Zaſmun-  
den, Henningus ac Vicus à Lancken, Balthaſar Rot-  
termund, Valentinus Carentz, Evvelus & Petrus Pe-  
tersdoſſ,



tersdorff, Johannes Weiger, Casparus Mellin, nomine ordinis Equestris: Nicolaus Schmitterlau, Christophorus Lorber, & Hermannus Mayer, Sundâ, Johannes Leitze, Mauritius Glinicke, & Joachimus Kule, Stetinô, Vicus Poele, & Martinus Voltzcou, Gripsvvaldâ, Casparus Borck & Nicolaus Ebert, Stargardô, Laurentius Godicker, & Henningus Poele, Anclamâ, Johannes Mislaff, & Petrus à Kremptzou, Stolpâ, Nicolaus Gusting, & Joachimus, Pafevvaldâ, Thomas Wolter, Marcus Tethard, Greiffenbergâ, Johannes Barentien, & Luticus Rosa, Treptoviô ad Regam, Ioachimus Leuenthal, & Ioachimus Kniepf, Periciô, Petrus Lentzcau & Bernhardus Schvvertzcou, Rugvvaldâ, Andreas Treppe, & Iacobus à Tieben, Schla bâ, Matthæus Nelzou, & Petrus à Kalen, Dannâ, Ravius Zarnicau, & Nicolaus Rudolphi, Barthâ, Paulus Glasenap, & Reymarus à Walde, Belgardâ, Nicolaus Rosa, & Iohannes Werbelou, Gortziâ, Dionysius Sperling, & Thomas Schumacher, Greiffenhagâ, Henrich Egfebrecht, Camminâ, Ioachimus Schmidt, & Petrus Pegelau, Wollinô, Matthias Lange, & Volckoverus, Damô, Andreas Plotze, & Iacobus Niegeman, Brunnen Kellerâ, Danus & Achimus Rayger, Wolgastô: nomine civitatum, sigilla nostra scienter hisce appendi curavimus. Actum Stetini, die Lunæ post undecim millium Virginum, à nato Christo anno Millefimo, quingentesimo, vigesimo nono.

*Fœdus à GUSTAVO ADOLPHO Svecorum Rege, laudatissima memoria, cum Pomerania Ducè novissimè defuncto percussum. Anno 1630.*

D 3

Nos



*Fœderi  
huic serenis-  
simus Se-  
ptemvir Brä-  
denburgicus  
assensus non  
est: quod nec  
scitu saltē  
Serenitatis  
sua fuit tra-  
ctatum: sed  
non nisi re-  
jam confectā  
cum ipsa  
communica-  
tum. Qua-  
propter cetero-  
rum quidem  
ejus argumē-  
tum eo tem-  
pore ( utpote  
cum in regi-  
mine provin-  
ciarum ista-  
rum nihil  
dum haberet  
juris) suo re-*

**N**OS GUSTAVUS ADOLPHUS DEI gratia, Suecorum, Gothorum, ac Vandalorum, Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Estoniæ ac Careliæ, Dominus Ingriæ: ex unâ, & Nos, DEI gratia, BOGISLAVIUS, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, ac Vandalorum Dux, Rugiæ Princeps, Electus Episcopus Caminæ, Gutzcoviæ Comes, ditionum Lauenburgi & Budoviæ Dominus, ex altera parte, pro nobis, successoribus item ac Regnis, Ducatibusque ac principatibus nostris publicè hisce testatum volumus: Cum nos GUSTAVUS ADOLPHUS, Rex Sueciæ, &c. vexationum inauditarum, quibus Dux Pomeraniæ ipsiusque ditiones hoc ferè triennio fuerunt exagitatae, miserti, memoresque simul non solum quo mutuò simus cum sanguinis tum Religionis vinculo: sed etiam quæ necessitudo, ab ævo omnem memoriam excedente Coronæ Sueciæ cum ditionibus Pomeranis, earumque incolis, continuo commerciorum usu ad hoc usque tempus intercesserit: maximè autem recolentes conventionum nexus quibus prædecessores nostris, piæ recordationis, Ducesque Pomeraniæ ac eorum ditiones, ordines, ac subditi, pacificatione Stetinensi die Luciæ an. 1570. inita sese invicem obstrinxerunt: apud animum etiam reputantes, quàm magno linquēs loco, ultimo tamen articulo, qui in Serenitatis sua, familiaque ipsius jus incurrit, nullā non commoditate se prabente, perpetuò contradixit. Et quanquam postea, quò omnem ex parte Suecica forte futuram oppositionem à se amoliretur, fœdus de cetero, extra unum articulum ultimum, habere ratum non abnuerit, ratihabitionemq; ipsam authenticam obtulerit, ea tamen à parte Suecica non fuit accepta, uti nec super successione Pomerana conveniri unquam potuit, nec proinde ad ullum unquam fœdus invicem deventum est: ita Serenissimo Septemviro (quippe qui tanquam tertius re inter alios aetā obligari non potuerit) jam fœderi huic cunctisq; in eo contentis nullatenus obstricto, sed omni modo liberis hac in parte erga Coronam Sueciæ retinente manus.



magnopere mare Balthicum ad nostras pertineat rationes, cui inquietando, nostroque summo præjudicio, finitimæ provinciæ Pomeranæ & occupatæ fuerunt & in officinam turbadæ commerciorum libertati, nobisq; & regnis nostris infestandis redactæ, eique rei, atq; adeo concussionum supra indigetatarum fœditati vel ab ipso nostri nominis prætextu quæsitus color: quamobrem, nostri judicavimus esse muneris, ut Ducem, provinciasque Pomeraniæ, etiam à Duce aut suis neutiquam, rogati, quippe cum nullum Neutralitatis ab ipso quidem propositæ nobis securum appareret fundamentum, opitulatione nostra ex injustissima violentiarum ac oppressionum sævitia, Divino nixi præsidio, asserentes juxta ac multiplices nobis ultrò illatas injurias, imprimis verò, quâ contra omnium gentium jus, nulla denunciatione præviâ, fuimus immeritò à provinciæ Pomeranarum vastatoribus impetiti, hostilitatem ulcisceremur.

Appulsi ergò cum insigni exercitu in Pomeraniam, ac Divino auxilio occupato Principatu Rugiæ, eo porrò usi sumus successu, ut nullâ ulteriori repugnatione eorum, qui provinciæ istarum sese prædicaverant defensores, insulas ilicò omnes, urbes, portus, munimenta, deserentium, quæ metropoli Ducatus propugnaculorum loco fuerant; commoditatem fuerimus nacti, præter Ducis Pomeraniæ, civitatisque Stetinensis opinionem, urbem ipsam aggrediendi, & in nostram redigendi potestatem,

E diverso nobis **B O G I S L A V I O**, Stetini, Pomeraniæ Duci perpendendum erat. 1. nos omnium mortalium subsidio destitutos. 2. ac tantæ nobis ingruenti armorum moli impares: 3. subditos nostros à defen-



à defensoribus sic dictis ipsis exutos armis. 4. Quod-  
que eorum supererat omnibus viribus usque adeo ex-  
suctum, ut ne spiritui quidem vitali sustentando, ne-  
dum propugnationi expediendæ, reliqua esset ratio.  
5. Ad hæc triennialibus oppressionibus tam prorsus in-  
humano eos habitos fuisse modo, ut plus habuerint de-  
siderij, se suosque inde extricandi, quam impendio mi-  
serarum vitæ reliquiarum altius sese in eas præcipitan-  
di: 6. Præsertim cum nulla planè meliorum ipsis spes af-  
fulgeret, quin potius expertis, ex omnibus ijs quæ no-  
stræ ipsorumque securitati ac saluti tam multifariam,  
tamque religiosè literis erant perscripta ac sponsa, adeo  
paucula servata. 7. Accedente Regiæ mentis piæ ac  
laudandæ expositione. 8. Se non instar hostis impe-  
ratoris Romani aut Imperij (utpote cum quo ipsi ni-  
hil intercedat inimici,) sed in crudeles tantum ac per-  
niciosos istos terrarum eversores, qui contra omnem  
æquitatis rationem, Regisque maximo præiudicio  
has occupassent provincias: 9. Ictasque ditiones ini-  
quæ violentiæ ac oppressioni ereptum, in pristinam  
eas libertatis conditionem restitutum, simulque se co-  
ronamque suam Sveciæ in securitatem vindicatum  
advenisse: declarante præterea Rege quoad urbem  
Stralsundam, ademtumque Rugiæ Principatum, o-  
mniaque alia loca, se continuo ac re ipsa tam pio ac a-  
mico acturum modo, ut id laudandi potius, quam  
cum extremo nostro ac provinciarum nostrarum dis-  
crimine recusandi habituri essemus materiam.

Igitur nos prædicti Rex Sveciæ ac Dux Pomeraniæ,  
pro nobis, Regnis nostris, Ducatibus, principatibus, ac  
ditionibus, utrinque, DEI Opt. Max. gloriæ, nostro-  
rumque regnorum, Ducatum, principatum, solatij  
ac sa-



ac salutis ergò, ad certas progressi pactiones, in eas tandem eâ, quæ sequitur, ratione convenimus.

I. Primò, nos mutuò, cum ditionibus nostris, ordinibus earum ac populis, in posterum veram ac firmam vicinitatis & familiaritatis culturos amicitiam, nihil hostile aut inimicum nec ipsos invicem attenturos, nec alijs qui de nobis dependeant, secretò vel manifestò attentare permissuros: quin potius nostra mutuò jura, Statum, dignitatem, ab omni vi ac injuria, invasione, devastatione, hospitationum ac tributorum militarium onere, alijsque violentiis conjunctis viribus, mutuisque armis ac auxiliis, protecturos ac servaturos, neutiquam autem nos invicem deserturos, multò minus alterum alteri bella illaturos, sed alteram partem alterius commoda undiquaque procuraturam, semperque promoturam, incommoda verò averfuram, commerciis inter coronam Sueciæ, Pomeraniamque ultrò citròque absque ulla impeditioe plenam permissuram libertatem, eaque summo provecturam studio. Cui fini nos pro nobis, successoribusque nostris ac Statibus, supra memoratam amicam conjunctionem ac conventionem inter nos, Regnaque nostra, Ducatus, Principatus, ad eosque pertinentes ditiones, non solum hisce renovatam, sed & vi harum literarum firmatam ac corroboratam, & in omnem temporis perpetuitatem volumus prorogatam: quæ quidem conventio deinceps quotoquoque decennio erit denuò renovanda.

2. Secundo, conventio hæc ita renovata ac prorogata defensionis tantum, ac ab injusta vi protectionis, minimè verò cujuscumque armorum ultroneæ illationis, habebit scopum, nisi fortè hæc mutua conservationis

E

pactio



pactio id necessariò exposceret, quo casu altera pars alteri cunctis viribus opem ferre tenebitur.

3. Unde nec ( pro tertio ) hæc conjunctionis conventio contra Majestatem Imperatoris aut Imperij, sed potius ad Imperij emolumentum ejusque in antiqua forma, libertate & tranquillitate conservationem, pacisque tam Religionis quam profanæ à grassantibus pacis publicæ turbatoribus, protectionem tendere intelligenda est, nec eâ nexum, quo nos **BOGISLAVIUS**, Stetini, Pomeraniæ Dux, Sacræ Cæsareæ Majestati, Sanctoque Imperio, nec non Saxonix Superioris Circulo, sumus obstricti, dissolvi, sed iisdem legitima nostra officia ( ita tamen, ut & ab ijs vicissim reciproca proficiantur, neque quid permittatur, quod hæc conventiones impugnet ) omninò salva servari, nosque cum Principatibus ditionibus, ac populis nostris in fide Imperij Romani, subque constitutionum Imperij, Circuli, ac provincialium norma permanere, nec in statu nostro provinciali quicquam immutari, aut nobis in Superioritatis nostræ Regalibus, Jurisdictionibus, aliisque juribus, ac dominijs, vel ditionum Pomeranarum ordinibus & incolis, Prælati nimirum, Equitibus, ac civitatibus in ipsorum privilegijs cunctorum aut singulorum, immunitatibus ac jurebus, publicis Statutis, & legibus fundamentalibus, cujusvis etiam juribus singularibus, ac jurisdictionibus aliquid derogari censendum.

4. Quartò, quandoquidem conjunctionis hujus ad præsens potissima hæc est mens, ut nos, Pomeraniæ Dux ab immani illa concussionum peste, quâ tertium jam fermè annum contra sacrosanctas Imperij, ac Circuli leges, pacisque publicæ sanctiones, initas  
etiam



etiam capitulationes, atque adeo contra peculiare Imperatorias sincerationes, mandata, ac publicas declarationes, innocentia nostra, ac fides constantissima fuit oppressa, liberemur, Ordines Pomerani in pristinum statum asserantur, nec in locis limitaneis, portibusve quid detrimenti patiantur, sed omnium hac in parte rerum novarum periculo securi præstentur: Idcirco ab utraque parte unanimi pactum est lubitu, ut statim ac e vestigio cuncta utrinque in eam rem conferatur opera quæque huic consilio, Religionis item paci in Imperio constitutæ adversa, jam nunc deprehendantur, aut deinceps nasci possint, conjunctis pro cujusque potentia viribus depellantur.

5. Quinto, omnes provinciæ Pomeraniæ, urbes, aliæque loca, à nobis Rege Sueciæ, aut jam occupata, aut in posterum occupanda, ad manus inque fidem Ducis Pomeraniæ, cum omnibus ad ea pertinentibus Regalibus ac juribus, sine exceptione, aut detractione, vel etiam impensarum bellicarum ulla repetitione, continuo restituentur, urbsque Stralsunda debitæ in Ducem observantiæ admonebitur: Attamen nobis, Pomeraniæ Duci, non sit integrum à ditionibus Pomeranis præsertim à Rugiæ Principatu quid alienare, vel quacunque ratione alienæ permittere potestati: sed ejusmodi præfectos ijs constituemus, qui Regis Sueciæ commissariis in omnibus, quæ ad provinciarum propugnationem spectant, operâ ac studio præstò sint: urbe etiam Stralsundæ privilegia sua nec non ejus cum Rege Sueciæ fœdus, peculiare, salva conservabuntur, iisque de quibus urbs queritur gravaminibus sine cunctatione ex æquo & bono prospicietur.

6. Cumque, sexto, & Episcopatus Camminensis Pomeraniæ



meranarum ditionum ac Ordinum partem constituat, ac proinde omnia, quæ conventionem hac sanciantur, ei Diœcesi, ejusque Ordinibus, prorata parte qua fruenda, qua præstanda jure veniant, id ipsum hic notandum memoratur, pactumque simul fuit, sicubi præter opinionem Diœcesi isti, aut ejus Collegio Cathedrali, contra ipsius privilegia, statuta, aliasve leges fundamentales, sive quoad Episcopi aut Coadjutoris electionem, sive quacunque alia ratione, injuriæ quid intentaretur, nos, Regem Sueciæ, una cum Pomeraniæ Duce, id cunctis & conjunctis depulsuros viribus, Collegiumque ac Diœcesin, electionisque ejus libertatem, dignitatem, ordines, ac jura à cujusvis violentia nunquam non protecturos.

7. Septimo, neutri liceat partium alterâ inconsultâ nec assentiente ab hac recedere conjunctione, multo minus nobis, Pomeraniæ Duci, durante hoc mutuæ defensionis negotio, ulla alia cum quopiam inire pacta: Rege vero, nostro Pomeranarumq; provinciarum nostrarum bono fortè quid paciscente nobiscum id erit ritè communicandum, neque nos provinciæve nostræ inde excludendæ.

8. Quod si quis (octavo) ex cæteris Magnatibus Christianis, idq; æquis conditionibus huic conjunctioni velit accedere, id ei non prohibitum, sed potius erit liberum: modo neutrius partis ditionum durior inde conditio evadat. 9. Quando etiam (nono) in hoc casu particulari omnibusque legibus permisso, nimirum pacis publicæ tam Religionis, quam profanæ, cōservationem, concernente, nullæ priores confœderationes aut pactiones, quippe quæ potius ejusdem firmandæ scopum habeant, sunt attendendæ: propterea eadem nec huic  
conjun-



conjunctioni poterunt præjudicare, nec in eam allegari. Nec nos, Pomeraniæ Dux, absque communi Regis adiensu, cum quopiam quicūque is fuerit ullum foederis aut conjunctionis genus inibimus.

10. Si præterea (decimo) accidat, ut quisquam, quicumque tandem is sit hujus quidem conventionis causa Ducem Pomeraniæ, ejusve ditiones infestis adoriatur, persequaturq; armis: nos, Rex Sueciæ, regnaq; nostra, non solum pro nobis ipsi fidelem ac strenuam Ducis, provinciarumq; suarum defensionem suscipiemus, sed etiam aliis Magnatibus huic conjunctioni participanda conciliatis, defensionis expediendæ, rationibus: eo plus addere virium studebimus: ad quod idem & nos Pomeraniæ Dux, ditionesque nostræ, Rege, Coronaque Sueciæ, ob hanc opitulationem bellis forsitan infestatâ, tenebimur.

11. Undecimò, hoc ipso conjunctionis foedere, privilegium indigenatus utriusque partis subditis tam in Corona Sueciæ, quam in Ducatu Pomeraniæ, mutuò collatum ac concessum intelligitur, Natioque Suecica Pomeranam, vicissimq; Pomerana Sueciam, bello ac pace, salvo tamen superioritatis jure, salvisque privilegiis & immunitatibus utriusque nationis, auxilio, favore & honore prosequetur.

12. Commerciis (duodecimò) eo rectius exercendis, tam moneta Regia Suecica in Pomerania, quam Pomerana in Suecia, juxta genuinum valoris precium ejus loci, ubi expendenda venit, accipietur.

13. Ob orientibus fortè (decimo tertio) dissensionibus inter Regem Sueciæ, & Ducem Pomeraniæ, utriusve ditiones ac subditos, eæ minimè armis, sed aut ex norma pactis Stetinensibus anno 1570. sancita, aut arbitratu



*Accuratè hic notandum lectori, reservatum hujus articuli à solo Rege, juxta verba diserta, insertum esse. Uti nec Dux Rogis- lavius nec Ordines Pomerani id reservati unquam adprobarunt aut ei sustinendo sese devinxerunt, testantibus actis: quem admodum nec ullo fundamento, in præjudicium tertij, id fieri potuisset. Serenissimus autem Septemvir statim à notitiâ tradixit.*

bitratu, per Electionem, aut sortem constituendo, amice dirimentur.

14. Ultimò, ac decimoquartò, nos rex Sueciæ nobis disertè reservavimus, si forte quis casus interveniat, Duce Pomeraniæ sine prole mascula fatis concedente, antequam Princeps Elector Brandenburgicus, utpote, eventuali jam sacramento successor, conventionem hanc ratam esse jusserit, hisque provinciis liberandis re ipsa opem tulerit, aut sicubi Electori successio ab aliis controversetur, nos, Regem Sueciæ, aut successorem nostrum in Regno tunc, hæc ditiones in sequestratoria & clientelari protectione tantisper retenturos, dum successionis negotium plenam sit sortitum terminationem, nobisque à successore sumptus bellici (sed absque ullo onere aut opera ditionum Pomeranarum, omniumque ad eas pertinentium Ordinum ac incolarum) repensi, conjunctionisque hæc pactio, uti par est, rata fuerit habita ac obsignata. Cuncta hæc bonâ fide, & absque fraude.

Quorum testimonio, inviolabilique ac perpetuæ observationi, nos Rex Sueciæ, pro nobis posterisque ac Regnis ditionibusque nostris, & nos Pomeraniæ Dux, pro nobis, Ducatibus, principatibus, ac provinciis nostris, conventioni huic sigillis nostris Regio ac Ducali munitæ, manibus nostris scientes subscripsimus. Dabatur Setini die 10. mensis Julij styli antiqui, à nativitate redemptoris nostri Jesu Christi, Anno 1630.

*reservato huic, pro se, familiaq; sua nunquam non disertissime con-*

*Edictum Sacre Cæsareæ Majestatis ad Ordines Pomeranos, super successione in istas provincias, ad Serenissimum Septemvirum Brandenburgicum transmissa.*

NOS





**N**OS FERDINANDUS III. DEI gratiâ, electus Romanorum Imperator, semper Augustus Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ; Dalmatiæ, Croatia, Slavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiria, Carinthiæ, Carniolæ: ac Wurtenb. Comes Tyrolis &c. omnibus ac singulis Ducatum Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum ac Vandalorum, Principatus item Rugiæ, omniumq; cæterarum ad eos pertinentium, provinciarum, ordinibus, equitibus ac subditis, cujuscunque sint conditionis, quorum cunctorum nomina hic singillatim expressa intelligimus, gratiam nostram, Cæsaream denunciamus, neq; vos celamus, allatum nobis esse, Illustrissimum quondam BOGISLAVIUMS, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum ac Vandalorum Ducem, dilectum nostrum Cognatum ac Principem, ad 20. præteriti mensis Martij diem suum obiisse, cui quidem ut pacis amanti Principi Imperij, ejusdem vestroque bono à DEO opt. Max. diuturniorem vitæ usuram fuisse cõcessam apprimè optaverimus: cum tamen Divinæ ipsius ac imperferutabili voluntati aliter visum fuerit, eidem omninò est acquiescendum: neque dubitamus vobis constare satis, quid ex obitu isto, quo antiquissima ac inclyta Ducum Pomeranorum stirps tota est extincta, vi antiquorum pactorum, eaque quotoquoque casu subsecutarum cõfirmationum ac investiturarum Cæsarearum ac sacramentorum fidelitalis provincialium in eventum dictorum, Sereno ac Illustrissimo GEORGIO WILHELMO, Marchioni Brandenburgico, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum Duci, Burggravio Norimbergensi, Principi Rugiæ, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario, dilecto nostro cognato ac Electori præstandum vobis incumbat. Quia tamen



men conjectu nobis est facile præsentì Ducatus Pome-  
raniz̄ itatu, exteris armis Suecicis infessi, vobis ejusmo-  
di quid posse proponi, quod prædicto nostro cognato  
dilecto, Electori Brandenburgico, vobisq; ipsis præci-  
puè verò nobis Sacroque Imperio Romano summo ver-  
tere queat præjudicio, nostrarum autem, ut Imperato-  
ris Romani, ex præscripto Cæsarei muneris, omninò est  
partium, ut Sacri Imperij, eique subjectorum fidelium  
Electorum, Principum, Ordinum, ac clientium jura,  
asseramus ac protegamus: Idcirco, ex paterna sollicitu-  
dine, prævertendis omnibus, quæ metuenda esse pos-  
sint, incommodis, edictum hoc nostrum Imperatori-  
um ad vos promulgare voluimus. Imperamus ergo vo-  
bis benignè juxta ac severiter, ut, pro fidei vinculo, pe-  
nes nos Sacrumque Imperium Romanum constanti fi-  
delitate permaneatis, nullique rei assentiamini, aut e-  
am permittatis, quæ ad nostrum, Sacrique Imperii, ac  
dilecti nostri cognati & Electoris Brandenburgici di-  
spendium aut præjudicium pertineat, sed eidem Ele-  
ctori potius sine detractione exhibeatis, ad quæ ex  
norma pactorum, confirmationum, investiturarum,  
sacramentorum præmemoratorum, tenemini, ac ob-  
stringimini, nec ab iis detrudi vos patiamini, à nobis,  
necessitate postulante, omne quod ex nobis proficisci  
poterit, auxilium expectantes. Eainre, unâ cum inter-  
positæ vestræ fidei officiis, seriam nostram ac enixam  
exequimini voluntatem: in vos gratiâ nostrâ Cæsarea  
propensorum. Dabatur in urbe nostra Vienna, deci-  
ma sexta Martii, anno millesimo sexcentesimo trigesi-  
mo septimo, Imperii ac regnorum nostrorum Romani  
primo, Hungarici duodecimo, Bohemici decimo.

1550 1550 1550 1550



2  
C. 7252 . 8

V 517

M. C.





ui sunt. Nouisti nam autē  
i. mortua est et mulier: in  
actione g. au' eoz. erit ut  
Nam septem habuerunt ea  
m. De aut illis ihc. Filij hui'  
ibunt. et traduntur ad mup  
tu uero qui digni habeant  
io illo et resurrectione ex  
uis. neq; moribunt. neq; du  
uores. neq; enim ultra  
untur. Quales enim ange  
nt. quia filij sunt dei. au'  
iij resurrectionis. Quia u'  
ui resurgant. moyses of  
et secus iudium. sicut dicit:

Secum super uos. Spiritus uo uigs.  
Sedere et conuere ab omni auaritia.  
quia non habebundantia cuiusq;  
uita eius est ex his que possidet.  
Dicit autem et similitudinem ad  
alios dicens. Dominus uisam di  
uisis uilites fuitus ager attulit.  
Et cogitabunt intra se dicens. Quid  
faciam. quia non habeo quo co.  
Saxem fuitus meos. De dicit.  
Hoc faciam. Destruam horrea me  
a. et maiora faciam. et illic con  
gregabo omnia que nata sunt  
mihi et bona mea. et dicam aie  
mee. Inimica habes multa bona.





joratus seu  
 Ekevische  
 den Lande  
 über die  
 observiret

Inma  
 hog zu E  
 1418. mit  
 Ständ  
 Steve v  
 vund sic  
 derer Pa  
 vnd einer  
 sagt: D  
 da der  
 Tochter



er ducentos abhinc  
 nos jura Majora-  
 s & Vnionis in his  
 rovincijs vigne-  
 ant: QUOD UNUS  
 NAVE PRINCEPS  
 ATU MAJOR SUC-  
 EDAT TANTUM.

No. I.

Quæ jura Adolphus  
 Dux Cliviæ, per  
 modum perpetui &  
 jurati Statuti cum  
 Statibus suis initi,

